



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

X. De parochiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1522. nes, quas nonnulli prælatorum & aliorum ad quos
beneficiorum suorum spectat collatio, faciunt, ma-
gnam in ipsis beneficiis varietatem & sic in sinistram
suspicionem inducunt, dum beneficia ipsa quorum
collationes probari non possunt, per eosdem præ-
latos plerumque aliis conferuntur, & ob hoc super
ipsis beneficiis inter eos, quibus taliter collata fue-
rant, quæstiones & litigia oriuntur. Ut igitur circa
hoc fraudis & varietatis materia amputetur, sta-
tuimus ut cum ecclesiasticorum beneficiorum col-
latio fieri debeat, fiat in capitulo, si consuetudo id
obtinet, vel coram notario publico, aut testibus
fide dignis, vel cum patenti ipsius prælati litera, vel
alterius, seu aliorum quorumcumque ad quos be-
neficiorum spectat vel spectare debet dicta colla-
tio, præsentibus testibus in litera ipsa collationis
insertis, per quæ probari possit collatio, & de ea
nullatenus dubitari: alias volumus quod collatio
ipsa nullius obtineat roboris firmatatem, seu nullius
penitus sit momenti.

X.

Parochiarum diuisio a sanctis patribus instituta
certitudinem parochianorum & decimatum debi-
tam solutionem inducit. Cum vero libertas mutan-
di parochiam per abusum, qui in quibusdam par-
tibus inoleuit, parochianis indifferenter concedi-
tur, parochianis ipsis subtrahendi decimas præsta-
tur occasio, & ecclesiis iniuria in decimatum, pri-
mitiarum, oblationum & aliorum iurium subtra-
ctione damnabile irrogatur: sed quia in plerisque
locis nostræ legationis talis, vt accepimus, inoleuit

L iiij

abusus , quod si parochianus vnius ecclesiæ die resurrectionis , seu alio solenni in alia parochia sacram communionem accipiat , vel quia alterius ecclesiæ parochianum velle se esse afferat , extunc , quoad decimas reales & personales & alia iura parochialia , parochianus illius in qua communicauerit , vel parochianum se velle esse dixerit , censeatur : volentes abusus prædictos iuris remedii extirpare , statuimus ut in ciuitatibus , castris , municipiis , in quibus parochiæ limitatæ non sunt ; per episcopos vel alios prudentes viros , quibus hoc episcopi commiserint , infra annum a die publicationis constitutionis huiusmodi per certos terminos limitentur . Postquam vero sic parochiæ fuerint limitatæ , nec parochianis de vna parochia modis præmissis ad aliam se mutare , nec alteri parochiali rectori ipsos sic recipere licet : alioquin & sic se transferens & recipiens in sententiam excommunicationis incurvant , & nihilo minus prima ecclesia decimis & aliis obuentionibus sibi debitis non priuetur . Si vero inter diuisas dioeceses fuerit limitatio huiusmodi facienda , quilibet prælatorum aliquas certas personas assignet , per quas parochiæ quæ confusæ esse non debent rationabiliter limitentur . Quod si personæ istæ conuenire non potuerint , tertius prælatus vicinior ad limitationem faciendam communiter inuocetur , per quem vna cum prædictis termini parochiarum & fines dioecesum limitentur .

XI.

Vt fraudes , quas diuersis modis religiosi in dandis decimis animalium & noualium adhibent , a